

terium; & sic de ceteris. Non vero per clausulam illam tribuitur Precisa facultas variandi, postquam semel primum vacans Beneficium oblati Precibus Primariis acceptavit. Quin imò clausula illa satis aperte oppositum inuit, dum permittit quidem libertatem de acceptando, non vero de variando post factam semel acceptationem: junctis praesertim Juribus proximè allegatis, Chokier loc. cit. Wagnereck, ubi supra. vers. Queres. III. Piching cit. n. 379.

596 Resp. II. Limitatur tamen data Conclusio in nonnullis casibus, in quibus post acceptatum prius Beneficium vacans, potest Precisa petere secundum. Sic quippe contingit, quando primus actus acceptationis fuit invalidus: tunc enim reiterandus est, reiterarique potest, l. Qui per Salutem. ff. de Jurejurand. Deinde id ipsum contingit, quando Precisa acceptans Beneficium primò vacans, non potest consequi illud, quod acceptavit, arg. l. 2. ff. de Optione legat. & l. si Marius. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. Chokier loc. cit. allegans Hostiensium c. Quia cunctis. §. Penult. de Concession. Praebend. in 6. & duas alias limitationes subjungens, quae tamen in re sub prioribus comprehenduntur; atque videri possunt apud ipsum, vel Piching, atque Wagnereck, ubi supra.

597 Quæritur VII. Quid dicendum de Executoribus Primarum Precum per Imperatorem deputandis? Resp. I. Etsi nominatio ad Beneficium Ecclesiasticum virtute Indulti Apostolici per Imperatorem, quantumvis Laicum facta, censetur Papalis; cum is facere intelligatur, cujus autoritate vel mandato actus fieri probatur, c. Mulieres. 6. §. fin. de Sentent. excommunicat. & c. Qui facit per alium. 72. de Reg. Jur. in 6. cum similibus. Quia tamem facile contingeret, ut Ordinarii Collatores non parerent Imperatori noviter creato, ejusque Primis Precibus: hinc Pontifex eisdem concedit Executores, qui per se, vel alium, seu alios compellant Collatores Ordinarios ad conferendum Precibus Beneficia vacantia, juxta tenorem Primarum Precum Imperatoriarum. Paret istud ex textu Indulti Apostolici Imperatoribus Neo-electis concedi soliti, quod verbatim refert Chokier, ubi supra, sect. 4. Simile quid habetur c. Cum nostris 6. de Concession. Praebend. & c. Constitutus. 19. de Rescript. & alibi sæpe, ubi pariter pro executione Litterarum Apostolicarum ad Beneficia, deputantur certi Executores.

598 Resp. II. Executores hujusmodi, nec non eorum Subexecutores, quos illi pro se ipsis subdelegaverunt, debent habere qualitates illas, quae ex parte Delegati Apostolici requiruntur in c. Statutum. II. de Rescript. in 6. nempe, ut sint in Dignitate Ecclesiastica constituti, vel Personatum obtineant, seu Cathedralium Ecclesiarum Canonici existant. Ita Chokier cit. Sect. 4. §. Quodque quicumque. & §. Per se vel alium, Post Rotam Decis. 99. Nota quòd executor. in Antiq. & concordant dicta superius Lib. I. Tit. 29. de Officio & potestate Judicis Delegati. §. 3. n. 70. & 73. ubi & hujus ratio redditur.

599 Resp. III. Executores, ac Subexecutores memorati, autoritate Apostolica, etiam per censuras Ecclesiasticas, exequi possunt Primas Preces: habentque eadem autoritate Apostolica liberam facultatem praestandi ea omnia, quae ad dictarum Precum, seu nominationum Imperatoriarum effectus consequendos opportuna fuerint. Ita textus expressus memorati Indulti Apostolici Sect. 4. & Chokier ibid. apud quem plura alia videri poterunt de Precibus Primariis Imperatoris; quamvis praemissa sint ceteris notabiliora, scituque magis necessaria.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

I. Ordo continuationis Rubricarum.

Visum est supra Tit. 4. de obligatione Clericorum Beneficiorum ad personaliter residendum in suis Beneficiis, & de non residentium poenis restat, ut post declaratam Tit. Praeced. naturam ipsorum Beneficiorum, mentio fiat de Clericis ægrotantibus, aut debilitatis, qui vel ob nimiam senectutem, vel ob lepra, autive morbum incurabilem, amplius residere, seu personaliter committi sibi Ecclesiae deservire non valent; examinando videlicet, an etiam hi sint privandi Beneficiis suis, vel fructibus eorum, aut quâ aliâ ratione cum ipsis sit procedendum. Unde sit

§. I.

Solvuntur varia Dubia de Clericis ægrotantibus, ubi & de salario Famulorum infirmorum.

SUMMARIUM.

- 2 Clericus ob infirmitatem nequit Beneficio, aut fructibus ejus privari. Et n. seqq.
- 3 Atque oppositum turbare statum Ecclesiasticum, nedum praesentem, sed & futurum.
- 4 Clericus etiam propria culpa in morbum incidens, nequit privari fructibus Beneficii &c.
- 5 Dummodo, dum sanus esset, residere consueverit.
- 6 Canonici ob infirmitatem absentes, non tenentur inservire per Substitutum.
- 7 Beneficiatus, v. g. Capellanus infirmus ad breve tempus, non videtur teneri ad suppletionem Missarum omittarum.
- 8 Nisi Litteræ Fundationis expresse aliud disponant.
- 9 Vel specialis Ecclesiae constitutio, aut consuetudo aliud exigat.
- 10 An Famulis infirmis salarii sit praestandum, variant Doctores.
- Refertur sententia affirmativa, unâ cum rationibus suis. Ibid.
- 11 Sententiae negativae fundamenta adducuntur. Et n. seqq.
- 12 Dominus contra Famulum infirmum agere non potest ad interesse: licet possit petere exonerationem salarii.
- 13 & 14 Solvuntur rationes sententiae affirmativae.
- 15 Dantur tamen aliqui casus, in quibus Dominus suis expensis curare tenetur Famulum infirmum.
- 16 Tenetur quoque huic ministrare cibaria, & in eo curando saltem modicas facere expensas.
- 17 Episcopi, Clerici curati, atque Beneficiati obligati ad celebrationem certarum Missarum, si infirmus, tenentur pati, ut eis constituantur Coadjutores.
- 18 Dummodo eorum infirmitas sit incurabilis, & perpetua.
- Secus, si hæc sit solum temporalis: quia tunc possunt sibi ipsi constituere Vicarium temporalem. Ibid.
- 19 Ad cedendum tamen Beneficio non possunt cogi, etiam ob morbum perpetuum.
- 20 Intelligendo istud non solum de Episcopis, sed etiam de aliis Beneficiatis.
- 21 Perpetuo ægrotantes, aut debilitati, an possint ad Ordines promoveri, vel in jam susceptis ministrare? Remissive.

Quæ.

2 Quæritur I. Utrum Clericus Beneficiatus, qui ob perpetuam infirmitatem munera sui Beneficii peragere nequit, Beneficio, aut fructibus ipsius privari possit? Resp. I. Nullus Clericus ob quancunque infirmitatem impediens, quò minus Officia Beneficii sui personaliter praestare valeat, idcirco potest Beneficio, aut fructibus ejusdem privari: sed illis omnibus, imò & distributionibus quotidianis, licet fruatur, dummodo, cum sanus esset, residere consueverit. Ita communis; & habetur expresse decisum cap. 1. h. t. ubi Summarius breviter sic habet, Clericus infirmus integre percipit fructus Beneficii sui. Accedit ratio ibidem in textu allata, & multum ponderanda, illis verbis: Quia, si alii ejus essent exemplo deterriti, fore non possent, qui militaret Ecclesiae, reperiri. Hæc ibi.

3 Quin imò ex relato Juris textu infert Abbas ibid. n. 3. quòd privare Clericos infirmos suis redditibus, videatur turbare statum Ecclesiasticum, nedum praesentem, sed & futurum: si enim Clerici ægrotantes tam inhumaniter tractentur, ceteri deterrerentur a Clericatu. Accedit, quòd afflicto non sit addenda afflictio, cap. 5. h. t. & can. Cum percussio. 7. q. 1. cum similibus. Et aliqui Clericos infirmos, atque per subtractionem fructuum Beneficialium denuò afflictos, haud immerito gemebundus exclamaret ad Dominum, illis Prophetae verbis. Psalm. 68. Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

4 Dicitur impræmis in data Conclusionè, Clericus ob quancunque infirmitatem impeditus. Ad comprehendendum quoscunque Clericos verè infirmos, etiam si propria culpa in morbum inciderint, arg. can. Cum percussio. 7. q. 1. ac notat Covarruvias lib. 3. Variar. Resolut. cap. 13. n. 8. vers. Septimò. Barbosa in cap. 1. n. 3. h. t. citans alios junctis dictis supra Tit. 4. De Clericis non residendum. §. 7. n. 194. ubi etiam n. 193. declarat, quæ infirmitas censetur sufficiens ad excusandum Beneficiarium a residentia personali, atque percipiendis distributionibus in absentia. Et additur ly, impeditus, ad excludendum Clericos delicatos: si enim infirmitas sit tam levis, ut judicio periti Medici, vel aliorum, quorum interest, id judicare, Clericus non impediatur Chorum accedere, & alia Beneficii sui Officia peragere, is non excusatur a residentia, neque recipit licetè distributiones quotidianas in absentia.

5 Dicitur ulterius, Dummodo, cum sanus esset, residere consueverit. Quia si nec sanus residere, atque Officiis Divinis interesse, ceteraque obligationes Beneficii sui personaliter peragere solitus fuisset, infirmitas superveniens non præstaret impedimentum: ac proinde non præberet justam causam percipiendi distributiones quotidianas in absentia, juxta dicta superius cit. Tit. 4. De Clericis non residendum & c. §. 7. n. 192.

6 Resp. II. Adeò procedit data Conclusio, ut Canonici ob legitimum impedimentum infirmitatis absentes, non teneantur sibi Coadjutorem adjungere, aut inservire per Substitutum. Ita desumitur ex cap. un. de Cleric. non resident. in 6. ac tradit Fagnanus c. Nulla. n. 73. de Concession. Praebend. asserens; ita fuisse milles resolutum: & concordant dicta superius Tit. 4. de Cleric. non resident. §. 4. n. 123. Quin imò Canonici absens ex causa infirmitatis, non solum percipit distributiones quotidianas quomodocunque, sed etiam quoad portionem accrescentem: hoc est, quoad portionem earum distributionum, quæ ab aliis Canonici, sine legitimo impedimento à Choro absentibus, amittæ fuerint, siquæ ceteris accrescunt. Fagnanus c. Licet. n. 139. de Praebend. allegans sententiam Sacrae Congregationis, quod ipsum repetit c. Cum percussio. n. 28. & seqq. de Cleric. ægrotant. Nec immerito: tum quia Clericus infirmus quoad perceptionem

distributionum quotidianarum, per juris fictionem habetur pro praesente, ac interessente cit. cap. un. de Cleric. non resident. in 6. Tum quia in materia juris accrescendi portio accrescit portioni, non personæ, l. Cum ex filio. §. fin. ff. de Usur. & pupil. substitut. & notat Fagnanus cit. c. Cum percussio. n. 72. h. t. post Ripam in l. Re conjuncti. ff. de Legat. III. & Doctores ibid. Atque Clerico infirmo debentur distributiones portionis principalis; ergo etiam debentur distributiones, quoad partem portioni principali accrescentem.

7 Resp. III. Insuper Beneficiarius, puta, Capellanus, ex obligatione Fundationis ad certum Missarum numerum singulis hebdomadibus celebrandarum obligatus, si ad breve tempus, infirmetur, puta, ac unam vel alteram hebdomadam (aut juxta Lugonem, & Laymanum mox citandum; ad unum mensem) non videtur teneri ad recompensationem, seu suppletionem Missarum tunc omittarum. Ita Petrus Navarrus lib. 2. de Restitutione. cap. 2. n. 210. Layman lib. 5. Theol. Moral. tract. 5. cap. 3. n. 7. Lugo disp. 21. de Eucharij. n. 49. Bernard. Sannig. dist. 5. Missa. quest. 8. n. 5. Ratio est: quia pie praesumendum est, Ecclesiam, vel Fundatorem, non intendisse tam arctam obligationem, ne aliqui Beneficiarius, à Deo infirmitate percussus, amplius affligatur: carendo videlicet necessariis vitæ subsidiis, si præter impensas Medicorum, etiam in recompensationem Missarum, tunc abque sua culpa omittarum, novas expensas facere cogeret, contra can. Cum percussio. 7. q. 1. & cap. 5. h. t. cum similibus. Accedit, quòd etiam Dominus temporalis, si pius est & benignus, non solum detrahere de mercede Famuli sui infirmi, tamen de jure detrahere si pset, ut multi Doctores volunt, juxta proximè dicenda: quid nisi pariter liceat pie praesumere de benignitate primorum Fundatorum, Sanctæque Matris Ecclesiae, pias eorumdem Fundationes materno affectu acceptantis, atque interpretantis.

8 Limitatur tamen istud, quando Litteræ Fundationis expresse aliud disponant, atque exigunt: puta, quia volunt, ut Clericus quotidie vel praescriptis diebus, per se, aut per Substitutum celebret, quatenus hæc occasione populus Missam audire valeat, aut in majori reverentia locus existat. Tunc enim, cum verba Fundationis sint clara, non est locus interpretationi, seu praesumptioni in contrarium, ne quis nodum in Scripo quærare videatur: adeoque Clericus acceptans ejusmodi Beneficium, saltem per Substitutum suæ obligationi, huiusque expressæ & specialis Fundatorum intentioni, satisfacere tenetur.

9 Limitatur id ipsum in casu, quo specialis cujusque Ecclesiae constitutio, vel recepta consuetudo, oppositum habet, talis enim est observanda. Nam explicatæ modum, atque rationem satisfaciendi Fundatorum intentioni, pertinet ad legitimum Superiorem, larg. c. Significatum. II. de Praebend. ac notat Abbas ibid. n. 1. & Layman, ubi supra. Quod ipsum praestat recepta Ecclesiarum consuetudo, utpote quæ est optima legum, seu fundacionum interpret, c. dilectus. 8. de Consuetud. Verùm occasione rationis n. 7. de Famulo infirmo adductæ,

10 Quæritur II. Utrum reverè Famulis infirmis salarii sit praestandum pro eo tempore, quo ægrotant? Resp. I. Circa hoc variare Doctores. Et quidem affirmativam sententiam tenet Glossa in l. Arboribus. §. Ægrotante. ff. de Usufruct. & Glossa Marginalis cap. un. de Cleric. non resident. in 6. Speculator tit. de Locato. §. Postquam. n. 20. Innocentius, Jo. Andreas. Hostiensis, & nonnulli alii, quos pro hac sententia citat Covarruvias lib. 3. Variar. Resolut. cap. 13. n. 8. Accedit ratio: quia, ut argumetur Speculator lo. cit. servus etiam infirmus nobis servire intelligitur, ut d. l. Arboribus. §. De illo. ff. de Usufruct. ibi: Nam sèpe & praesentibus servis, licet non utamur, tamen usufructu retinemus,

reinemus, puta, agrotante servo. Ad hoc ipsum facit textus expressus in l. Cum haeres. §. Stichus si haerediti. ff. de Statu liberis, ibi: Sed si quibusdam diebus aut valetudo, aut alia iusta causa impedimento fuerit, quod minus serviat: & hi anno imputandi sunt: servare enim nobis intelliguntur etiam quos curamus egros, qui volentes nobis servare, propter adversam valetudinem impediuntur. Hæc ibi. Confirmatur id ipsum. Quia per Famulum infirmum non fiat, quod minus Domino suo melius serviat: unde locum habere videtur Reg. 41. Jur. in 6. Imputari non debet ei, per quem non fiat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum, cum concordantiis. Unde, quod ipsi debeatur salarium totius temporis, quo operas suas domino locavit, probat textus in l. Qui operas. ff. Locati, illis verbis: Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quod minus operas suas præstaret. Advocati quoque, si per eos non steterit, quod minus causam agunt, honoraria reddere non debent. Ad idem facit textus l. 1. §. Divus. ff. de Variis & extraordinariis. cognition. Atque exemplum Clericorum infirmorum, quibus præstantur fructus sui Beneficii, ne afflictio addatur afflictio, juxta proximè dicta.

11. Oppositam sententiam, videlicet Famulo infirmo non deberi salarium, tanquam viorem amplectitur Abbas in cap. 1. n. 9. h. t. asserens, ita communiter teneri. Id ipsum tradit Ancharanus c. Propter. n. 17. & Imola n. 10. de Locato. Covarruvias cit. lib. 2. Variar. Resolut. cap. 13. n. 8. allegans Bartolum in d. §. Divus, & in l. Opera. ff. de Usu & usufructu. legat. ubi Dynus, Oldradus, & Albericus Barboza cap. 1. n. 5. h. t. post Azorium part. 2. lib. 8. cap. 14. quest. 3. Dianam part. 1. tract. de Contractibus, resolut. 86. & alios. Atque pro hac sententia affertur primò textus ex l. Ex conducto. 15. §. Item cum quidam. ff. Locati: ubi casus contingens in persona illius, qui locabat operas suas, liberat Conductorem à præstatione mercedis. Sic v. g. ubi conduxit quis vecturam certâ mercede præstitâ, alter autem morbo, vel alio fortuito casu impeditus vecturam non præstitit, nihil ei debetur; imò, quod antea in hunc finem datum fuit, repetitur. Et mox ibidem subjungitur generaliter, Quod hoc in omnibus personis similiter observandum est. Unde huic textui non posse benè responderi, notat Jason. l. Diem functo. n. 43. ff. de Offic. Assessor. Ad idem inducitur textus in l. Si pecuniam. ff. de Conductione causa data, cum concordantiis. Accedit ratio: quia reverâ fiat per famulum, utpote infirmum, quò minus operas suas præstet; ergo, cum is deficiat in præstandis operis suis, quas Domino locaverat, vicissim Dominus, veluti conductor earundem operarum, poterit negare Famulo salarium.

12. Nec obstat, quòd Famulus non præstando operas præ infirmitate, non peccet, omnique culpa etiam civili careat. Resp. enim, hinc, solum sequi, quòd Dominus non possit contra Famulum infirmum agere ad interesse (puta, ad recompensationem damni, quod propter morbum servi, atque intermissas idcirco operas ejus, Dominus incurrit) non autem, quin possit petere exonerationem salarii pro rata temporis intermissarum operarum. Huc facit textus notabilis in cit. l. Ex conducto. 15. §. Ubiunque. ff. Locati, ubi in simili casu, abique culpa culpâ contingente, dicitur: Ubiunque tamen remissionis ratio habetur ex causis supra relatis: non id, quòd sua interest, conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata mercedis. Unde pariter in proposito Dominus, veluti conductor operarum servi, istis abique culpa servi ægroti non præstitis, consequitur exonerationem mercedis, seu quòd salarii pro rata temporis solvere non teneatur: licet non consequatur id, quòd sua interest; puta, recopensationem incommodi, quòd ratione lucris cessantis, aut damni emergentis, ob Famuli infirmitatem incurrit.

Ad alias rationes pro priori sententia n. ro. allatas respondet Covarruvias, ubi supra. Imprimis enim non obstat textus ex l. Arboribus. ff. de Usufructu. allegatus. Quia probat tantum, quòd in servo agrotante reiteneatur usufructus: quòd parum facit ad propositum, ubi agitur de Salario præstando, non de usufructu retinendo. Ad l. Cum haeres. ff. de Statu liber. dicitur, ubi Sermonem esse de casu speciali libertatis acquirendæ, si per annum quis servierit. Nam quia causa libertatis est favorabilis, cap. ult. de Sentent. & re judicat. meritò ad eam, vi legati acquirendam, computantur in anno dies infirmitatis: secus, respectu salarii obtinendi; utpote debiti duntaxat, sub pacto operarum præstandarum. Siquidem locatio operarum, est contractus reciprocus: unde unâ parte non præstante operas promissas, neque altera tenetur præstare salarium, cit. l. Ex conducto. §. Item cum quidam. & §. Ubiunque. ff. Locati.

Ad Confirmationem, atque Regulam Imputari & 14. respondetur negando Assumptum. Nam, ubi Famulus exiit infirmus, sicque operari nequit, reverâ per ipsum fiat, quò minus operas suas præstet; quamvis in hoc non peccet, neque id sibi imputari possit ad culpam, vel interesse exigendum. Ad l. Qui operas. ff. Locati. & priorum ejus partem, patet per idem: quia militat in contrarium, cum in proposito pro servum infirmum stet, quò minus operas suas Domino locatas præstet. Secus foret dicendum, quando non per famulum, sed per Dominum, seu Conductorem operarum flaret, quò minus istas præstet: tunc enim totius temporis mercedem accipere debet, juxta textum allegatum: atque notat Glossa in l. Ex conducto. §. Personis. ff. Locati. Ad alteram partem cit. l. Qui operas, sicut & ad l. 1. §. Divus. ff. de Variis & extraordinariis. cognit. dicitur, ubi sermonem esse de Advocatis, uti ex textu patet: his enim ex speciali favore, atque privilegio, propter excellentiam Officii, & ingeniosam professionem suam, debetur promissum salarium: neque honoraria eisdem data repeti possunt, quamvis morbo, aut morte præcedit, totum servitium præstare nequeverit. Nec tandem arguuntur paritas de Clericis beneficiatis, & Familis: nam prioribus non tantum propter laborem personalem, sed etiam propter eorum dignitatem, aliaque onera Clericalia debentur distributiones quotidianæ, cæteriue redditus Ecclesiastici: istud autem de infirmis famulis neutiquam procedit, uti patet.

Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus Dominus suis expensis curare tenetur famulum infirmum. Et primò quidem id contingit, quando Famulus infirmus non habet, unde sibi ipsi subveniat: nec existit ibi, aut in propinquo Hospitale pro infirmis, ad quod remitti possit, Dominus autem benè habet, unde ei succurrat. Barboza cap. 1. n. 6. h. t. post Rebullum de Obligat. justit. part. 2. lib. 14. quest. 15. n. 2. & alios. Siquidem tunc urget Lex naturalis de dilectione proximi, ut Dominus subveniat famulo, veluti proximo suo extreme diligenti, can. Pasce. dist. 86. ibi. Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poterat, si non pavisti, occidisti. Quia imò proximus extreme indigens (ac præsertim famulus respectu Domini, ob majorem inter ipsos respectum) potest implorare Officium judicis contra alium, ut sibi subveniat, si est solvendo. Abbas cap. 1. n. 8. h. t. Vel denunciare Ecclesie illum, qui non dat: & sic Ecclesia poterit eum cogere, ut det, arg. can. Sicut. dist. 47. junctâ Glossâ §. Commune. & §. Ejuravit, ac notatis ibid.

Deinde, quamvis ad magnas expensas, pro Famulo infirmo præstandas, Dominus regulariter non teneatur, juxta hætenus dicta: notat tamen Glossa in cap. 1. §. Agrotanti. & Abbas ibid. n. 8. h. t. & Covarruvias cit. lib. 3. var. Resolut. cap. 13. n. 8. post Bartolum in l. Si cum

cum dotem. §. Sin autem. ff. Solutio matrimonio, & alios, quòd Dominus Famulo agrotanti teneatur cibaria subministrare, in eoque curando, saltem modicas & tenues expensas facere. Nec immerito: tum quia Famuli ægri, quos curamus, nobis servare intelliguntur, l. Cum haeres. §. Stichus ff. de Statu liber. Nam & tunc manet obligatio serviendi, licet ob morbum, aut aliud impedimentum, operæ non præstentur. Tum quia hoc ipsum suadet textus l. In rebus. ff. Commodati; ubi impendia cibariorum, & modicas impensas in valetudinem servi commodati factas, Commodatarius facere cogitur, & factas non repetit: secus in majoribus expensis, ut ibidem dicitur.

17. Quaritur III. An Clerici ob infirmitatem incurabilem possint compelli ad Coadjutorem admittendum, vel etiam ad cedendum Beneficio, si idcirco nequeant amplius fungi Officio suo? Resp. I. Episcopi, cæteriue Clerici curati, sicut & simplices Beneficiati ad celebrationem certarum Missarum obligati quamvis ob infirmitatem Beneficio privati non possint, tenentur tamen pati, ut eis constituantur Coadjutor, vel Vicarius ad petendum debita Officia, quando eorum infirmitas est incurabilis, ac perpetua. Ita certa, & communis; atque patet ex cap. 3. 4. 5. & 6. h. t. junctâ cap. un. eod. in 6. Ubi Episcopi, Rectores Ecclesiarum, Archidiaconi, aliiue Beneficiatis, lepræ maculâ, vel alio incurabili morbo laborantibus, aut senio confectis, jubetur Coadjutor assignari, per quem debita officia sub assignatione congruè sustentationis præstentur; sicque cura animarum, cultusque Divinus non negligatur.

18. Additur notanter in Conclusionem, quando eorum infirmitas est incurabilis, & perpetua: qualis esse solet lepra, cæcitas, morbus paralyticus, ac hujusmodi, de quibus loquuntur jura proximè allegata; ac præsertim c. Ex parte. 5. eod. ibi: Gravi & incurabili morbo, ferè per quadriennium laboraverit. Nam, argumento à sensu contrario desumpto, secus est dicendum de infirmitate solum temporali, & adhuc naturaliter curabili, v. g. febris tertiana. Tunc enim Clericus ægrotus non tenetur accipere Coadjutorem sibi constitutum; sed ipsemet poterit sibi Vicarium vicem suam constituere, quemdiu morbus duraverit, vices suas suppleturum. Jo. Andreas in c. Consultationibus. in 6. & Fagnanus ibi. n. 11. 12. & 13. h. t. citans Hostiensium in c. Clericos. de Offic. Vicar. & alios. Quod ipsum desumitur ex can. Ad vicem. 16. q. 1. junctâ Concilio Tridentino Sess. 21. cap. 4. de Reform. ubi Rectores Ecclesiarum jubentur sibi tot Sacerdotes ad minus Pastorales adungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum. Unde consequens est, ipsosmet Parochos morbo temporali, seu adhuc curabili laborantes, posse sibi deligere Vicarium (ab Ordinario tamen loci cæteroquin pro cura animarum approbatum, juxta Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. vers. Eadem omnino & Sess. 23. cap. 11. vers. Nec liceat. de Reform.) cujus ministerio pro exercenda cura animarum ad tempus durantis morbi utatur. Quòd si alicubi de consuetudine, vel speciali ordinatione Episcopi, ad id requiratur, ut ejusmodi Vicarius deputetur ab Ordinario loci, vel consensus istius accedat, id omnimodis in praxi observandum erit, juxta c. Si quis venerit. 2. de Majoritat. & Obed. cum similibus.

19. Resp. II. Nihilominus ad cedendum Beneficio suo Episcopus, aut alius Beneficiatus, ob morbum perpetuum, seu naturaliter incurabilem, quo laborat, compelli non potest: sed sufficit, si recipiat adjunctum sibi Coadjutorem, sive Vicarium, cum assignatione competentis portiois ad ejus sustentationem de redditibus Beneficii. Patet hoc ex cap. 5. h. t. ibi: Verum cum ipsum (Episcopum gravi, & incurabili morbo laborantem) ad cessionem compellere non possis, nec debeat ullo modo, nec afflictio afflictio sit addenda. Man-

domus, quatenus illi Coadjutorem associet virum providum, & honestum, per quem tam Episcopo, quam populo utiliter consulatur. Hæc ibi.

Nec dicas, hæc esse speciale in Episcopis ob sublimitatem Officii, & spirituale conjugium. Quod est propriè inter Episcopum & Ecclesiam. Resp. enim, eandem esse rationem de inferioribus Beneficiatis, præsertim curam animarum exercentibus, aut aliam administrationem sive Officium habentibus: prout Jura & rationes n. 2. & 3. allatæ convincunt. Et hinc cap. ult. h. t. datur Coadjutor Archidiacono, qui morbo paralytico laborans Officium linguæ amiserat. Similiter cap. 3. & 4. eod. jubetur dari Coadjutor Rectores Ecclesiarum, lepræ maculâ infectis: atque per Rectores Ecclesiarum, ex proprietate vocabuli intelliguntur Parochi, aliiue inferiores Curati & arg. cap. ult. de Præbend. cum concordantiis; ac notat Fagnanus in c. De rectoribus. n. 5. h. t.

Quaritur IV. Utrum perpetuò ægrotantes, aut a- 21. lias debilitati, possint ad sacros Ordines promoveri, aut in Ordinibus jam susceptis ministrare? Resp. De hoc ex professo jam dictum est supra Lib. 1. Tit. 20. de corpore vitiatu ordinandis, vel non, per totum: præsertim verò, & quantum attinet alteram partem. n. 8. 11. & 12. ac 19. Ibi videatur.

§. II.

De Coadjutoribus Clericorum ægrotantium.

SUMMARIUM.

- 22. Coadjutor, & Coadjutoria, quid?
- 23. Coadjutor propriè non dicitur Prælati, seu Rector Ecclesie.
- 24. Habet curam animarum quoad exercitium; non quoad jus, & titulum. Et n. præced.
- 25. Administratores Episcoporum &c. in re vix differunt à Coadjutoribus.
- 26. Coadjutoria est duplex, perpetua videlicet, ac temporalis.
- 27. Inter has intercedit multiplex differentia; & quæ?
- 28. Quis dari possit Coadjutor? Et n. seqq. Coadjutor debet habere omnes qualitates requisitas ad Officium, pro quo datur. Ibid.
- 29. Coadjutor Episcopo datus in spiritualibus, cuius ætatis esse debeat; & qualis?
- 30. Et quæ ætas sufficiat ad Coadjutorem Episcopi solum in temporalibus?
- 31. Ex quibus causis dandus sit Coadjutor? Et n. seqq.
- 32. Quando Coadjutor Clerico dandus sit propter senium.
- 33. Vel propter imperitiam &c.
- 34. Coadjutor temporalis datur cum contemplatione Ecclesie, seu contemplatione Beneficiati coadjuti.
- 35. Prælati, seu Parochi coadjuti, propter constitutum sibi Coadjutorem non excusantur à residentia.
- 36. Neque etiam ab ea liberatur Coadjutor propter residentiam Coadjuti.
- 37. Coadjutor à quo dari possit? Et n. seqq. Coadjutor perpetuus non nisi à Papa concedi potest: & quando concedendus sit? Ibid. & n. seqq.
- 38. In beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditarie successione imaginem referunt, sacris Constitutionibus sunt ostia.
- 39. Episcopis Coadjutores etiam temporalem dare, ad solum Papam pertinet.
- 40. Solvitur instantia ex c. Ex parte. h. t. desumpta.
- 41. Nihilominus Episcopi à Curia remoti, possunt unum, vel duos Coadjutores sibi assumere, cum consensu Capituli.

- Aut ipsis dementibus Capitulum assumere. Ibid. & num. seqq.
- 42. Idque auctoritate Apostolica.
- 43. An ad istud sufficiat consensus majoris partis Capituli?
- 44. Plures duobus Coadjutoribus nequit Capitulum Episcopo dementi dare.
- 45. Episcopus compos rationis, non potest à Capitulo cogi, ut sibi Coadjutorem assumat. Et quid Capitulum agere debeat in casu insufficientie Episcopi, nolentis sibi Coadjutorem assumere? Ibid.
- 46. Parochis, & Beneficiatis Episcopo inferioribus Coadjutorem temporalem dare, pertinet ad proprium ipsorum Prælatum.
- 47. Coadjutoris Officium generatim loquendo quale? Quenam in specie pertineant ad Officium Coadjutoris, colligendum est ex forma collationis Coadjutorie, seu Litteris ipsius. Ibid.
- 48. Coadjutoris simpliciter dari Officium est, tam Coadjuti, quam Ecclesie curam gerere.
- 49. Et Coadjutor simpliciter datus, potest omnia, quæ ipsemet Rector principalis possit &c.
- 50. Nisi quid in Jure specialiter exceptum sit.
- 51. Aut nisi Coadjutus sit invitus quoad aliquid, quod ipse potest, ac vult agere per seipsum. Et n. 49.
- 52. Coadjutor Episcopi simpliciter datus, an possit conferre Beneficia? Rationes dubiandi, ac negativam tenendi. Ibid.
- 53. Respondetur sub distinctione.
- 54. Ac solvuntur rationes dubiandi.
- 55. Coadjutor debet moderatè sustentari ex bonis Ecclesie, cujus Prælati datus est.
- 56. Quid, si bona Ecclesie non sufficiant pro alendo Coadjutore, & Coadjuto? Et n. seqq.
- 57. Tunc prius est subveniendum ex bonis Ecclesie Coadjuto, seu Prælati infirmo.
- 58. Et qualiter providendum sit Coadjutori?
- 59. Coadjutoris temporalis Officium expirat morte Coadjuti, sive naturali, sive civili.
- 60. Item, quando cessat impedimentum Coadjuti. Et n. seq.
- 61. Tenetur Coadjutor reddere rationem gestæ Coadjutorie.
- 62. Coadjutoris perpetui Officium, quatenus respicit favorem Coadjuti, non expirat mortuo Coadjuto, sed transit in jus plenum. Et n. seqq.
- 63. Clausula, Ex nunc prout ex tunc, quid operetur?

22. **Q**uæritur I. Quid, & quotplex sit Coadjutor, & Coadjutoria? Resp. I. Quamvis late loquendo omnis ille sit, ac dici possit Coadjutor, qui alium juvat, seu coadjuvat in peragendo suo officio: nam generatim loquendo, Coadjutor dicitur à coadjuvando; sicut Tutor dicitur à tuendo, quasi Tutor & defensor, L. 1. ff. de Tutelis. Nihilominus specialiter loquendo, & quantum ad propositum, Coadjutor est ille, qui datur ex causa, juris, vel Judicis auctoritate, ad coadjuvandum Officium Præsentis, seu Ministri Ecclesie. Ita Jo. Andreas in cap. ult. n. 3. & 4. h. t. & Abbas ibid. n. 1. & in re communis. Unde Coadjutoria aliud non est, quam facultas ex causa auctoritate juris, vel Judicis cuiuspiam concessa, adjuvandi Prælatum, vel alium Beneficiatum in Beneficij regimine. Castro Palao part. 2. disp. 1. punct. 9. n. 1. cum aliis.

23. Dicitur notanter in data Coadjutoris definitione, ad coadjuvandum Officium &c. Quia Coadjutor datus Prælati, seu Rectori Ecclesie, proprie non dicitur Prælatum, seu Rectorem Ecclesie; ut liquet ex ipso nomine Coadjutoris; atque notat Abbas c. De rectoribus. n. 6. h. t. quidquid dicit Glossa ibid. §. Curam animarum. Et hujusmodi Coadjutor censetur habere curam animarum quoad exercitium duntaxat, non autem quoad

jus, & habitum curæ: siquidem jus, possessio, ac titulus Beneficij adhuc remanet penes Rectorem, sive Prælatum infirmum; ac proinde iste non desinit esse Prælatum. Jo. Andreas cit. c. De rectoribus. n. 1. eod. & alii, contra Glossam fin. ibid. Coadjutor verò nec jus, nec titulum habet in Beneficio, sed tantum exercitium & administrationem illius juris, quod in Coadjuto remanet. Hostiensis in cit. c. De rectoribus. post princip. Abbas ibid. n. 6. Ancharanus n. 3. & Fagnanus n. 6. & n. 35. & 36. h. t. citans Rotam Decis. 470. n. 5. part. 4. Recent. & alios.

Nec obstat textus in d. c. De rectoribus. h. t. ibi: Eis 24. dandus est Coadjutor, qui curam habeat animarum. Resp. enim, istud esse intelligendum de cura animarum quoad exercitium, seu quoad actum secundum ipsius curæ: non verò quoad jus, & titulum Beneficij hujusque possessionem, utpote adhuc residentem in Coadjuto. Siquidem ob morbum supervenientem, & absque culpa sua, nequit Clericus Coadjutore indignus spoliari, ac titulo præhabitu Beneficij: alioquin afflicto adderetur afflictio, contra cap. 1. & cap. 5. h. t. Et hinc tale jus, seu titulus Beneficij non potest redire in Coadjutore, eidem Clerico infirmo assignato: nam duo infirmum eandem rem, & eodem modo, in solidum possidere non possunt, uti habetur c. Licet causam. 9. §. Ex præmissis. de Probation.

Ubi etiam breviter notandum, quod à Coadjutore 25. hæcenus explicato, in re vix, aut nihil (seclusis specialibus prærogativis, seu facultatibus quandoque concessis) differant Administratores, qui tum in spiritualibus, tum temporalibus, à Sede Apostolica dari solent Episcopis à suo Episcopatu legitime absentibus, vel Personis Principibus auctoritate Apostolicâ dispensativè promoti ad Episcopatum ante legitimam ætatem, aut ipsi Ecclesiis Cathedralibus vacantibus: de quibus habetur mentio in c. Is cui. 42. de Election. in 6. junctâ Glossâ, & DD. ibid. Quamquam ille, qui cuiuspiam Episcopo, aut alteri Prælati per de jam apto ad regendam Ecclesiam sibi committam, nunc autem ab actuali exercitio muneris sui propter morbum perpetuum impedito, datur ad exequendum munus ipsius; specialiter nomine, atque in Jure cap. 3. & 5. & 6. h. t. & alibi usurpato, dici solet Coadjutor: veluti coadjuvans Rectorem principalem infirmum in peragendo Officio, & Pastoralium munere suo.

Resp. II. Coadjutoria est duplex, alia perpetua, 26. seu data cum jure succedendi in beneficio: alia temporalis, seu data sine tali jure succedendi. Ita communis. Et quidem Coadjutoria perpetua, seu cum futura successione, dicitur illa, per quam Coadjutori jus tribuitur, mortuo Coadjuto in ejus Officium, ac beneficium succedendi. Coadjutoria temporalis e contra est illa, per quam Prælati, seu Rectores Ecclesie, aut alii Beneficiario, propter infirmitatem, aliamve causam impedito ab exercitio sui muneris, datur Coadjutor, quamdiu is vivit.

Porro inter hæc duplicem Coadjutoriam multiplex 27. intercedit differentia. Imprimis enim Coadjutoria perpetua, seu cum futura successione, non nisi à Summo Pontifice concedi potest: at verò Coadjutoria temporalis potest concedi etiam per Prælatum Papæ inferioris, juxta dicenda nu. 37. & 46. Deinde Officium, atque potestas Coadjutoris temporalis finitur morte naturali, vel civili (videlicet renuntiatione, vel depositione) illius Prælati, aut Rectoris Ecclesiastici, cui datus est Coadjutor: factis dicendum in Coadjutore perpetuo, prout amplius dicitur infra num. 62. & 63. Tandem Coadjutoria temporalis solum respicit favorem Coadjuti, & Ecclesie sibi conceditæ; utpote cujus vices, officiaque Ecclesiastica tenetur Coadjutor supplere, ipsiusque Ecclesie curam gerere, absque eo, ut inde, præter congruam sustentationem, aliquid commodi reportet. At verò Coadjutoria perpetua respicit

respicit non solum favorem Coadjuti, & Ecclesie sibi committæ, ob rationem proximè dictam: sed etiam favorem Coadjutoris, utpote cui mediante illi jus confertur succedendi in Beneficio post obitum illius Coadjuti.

28. **Q**uæritur II. Quis dari possit Coadjutor? Resp. I. Coadjutor Clerico ægotanti deputandus, debet esse vir providus, & honestus, cap. Ex parte. 5. h. t. & c. Venerabili. 37. de Offic. Delegat. Fidelis, vitæque probatæ, quæ ad regimen Ecclesie idonea sit: & talis, per quem tam Beneficiario infirmo, quam populo utiliter consulatur. can. Quamvis triste. 7. q. 1. & cit. c. Ex parte. h. t. Unde generaliter loquendo, Coadjutor debet habere omnes qualitates de Jure requisitas ad illud Officium, pro quo datur; ut novissimè decrevit Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 7. de Reform. & antea jam notavit Abbas in c. Consultationibus. n. 1. h. t. Ac proinde, si Coadjutor datur cuiuspiam in spiritualibus, puta, ad curam animarum; debet habere scientiam, quâ sciat populum regere, animarumque commissarum saluti prospicere, & inquietos sub disciplina vinculo contringere, cit. can. Quamvis triste. & can. Petisti. & can. Quia frater. 7. q. 1. Et si datur in temporalibus Regi, aut alteri Domino temporali, debet esse magnanimus, potens, probus & circumspectus, c. Grandi. 2. de Supplend. negligent. Prælat. in 6. Ita Jo. Andreas d. c. Consultationibus. n. 4. & Abbas ibid. n. 1. h. t. & alii.

29. Inferius proinde, quod Coadjutor Episcopo ægotanti datus in spiritualibus, debeat esse triginta annorum completorum: nam ætatem hæc oportet habere ipsi tum Episcopo, c. Cum in cunctis. 7. §. 1. de Election. Abbas cit. c. Consultationibus. n. 1. Garcias part. 4. de Beneficiis, cap. 5. n. 141. & part. 7. cap. 4. n. 90. generaliter docens, quod eadem ætas, & habitus, quæ requiruntur ad titulum Dignitatis, Præbendæ seu Beneficij, requiruntur, & sufficiat ad Coadjutoriam ipsius; prout tenent Rota Decis. 347. n. 3. part. 3. Diversi Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 9. n. 6. allegans alios. Concordat Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 7. de Reform. requirens in Coadjutore Episcopo, cum futura successione dato, omnes qualitates, quæ à Jure requiruntur in Episcopis. Quod intellige, nisi Papa specialiter dispensaverit super aliquo defectu. Requiritur etiam in Coadjutore Episcopo simpliciter dato quoad spiritualia, ut sit Episcopus consecratus; alioquin enim non possit exercere Pontificalia, sed duntaxat jurisdictionem Episcopalem, arg. c. Aqua. 9. de Consecrat. Ecclæ.

30. Si verò deputer quis Episcopo Coadjutor solum in temporalibus (puta, quis Episcopus est d. lapidator) tunc in Coadjutore sufficiunt viginti quinque anni: quia ætas hæc censetur esse perfecta quoad administrationem temporalem: unde & in tali ætate potest quis esse Tutor, L. uti. C. de Legitim. tutel. atque Procurator etiam ad judicia, c. Qui generaliter. §. fin. de Procuratorib. in 6. Abbas, ubi supra. Pirhing h. t. n. 15.

31. **Q**uæritur III. Et quibus causis dandus sit Coadjutor? Resp. I. Plures sunt causæ, ob quas Coadjutor Clericis Beneficiatis dari potest, ac solet: uti videre est apud Jo. Andream cit. c. Consultationibus. n. 6. h. t. Gonzalez d. gloss. 5. §. 9. nu. 19. ac seqq. & alios. Et primò quidem datur Coadjutor simpliciter, & sine futura successione, Clericis ægotantibus, seu ob eorum infirmitatem: dummodo hæc sit perpetua, & tanta, ut propter eam Clericus munera Beneficij sui obire nequeat, c. Ex parte. 5. h. t. & cap. un. eod. in 6. junctis dictis supra n. 18. Deinde propter lepram: licet etiam hæc non sit tanta infirmitas, quin Clericus leprosus quoquo modo possit præstare munera Beneficij sui: quia tamen sine scandalo, & horrore populi id fieri nequit, hinc SS. Canones jubent Clerico leproso Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

dari Coadjutorem, cap. 3. & 4. h. t. Tertio datur Beneficiario Coadjutor propter amissum usum lingue; cap. ult. h. t. ubi Papa respondit, quod Archidiacono, quem morbo paralytico laborantem Officium lingue afferebatur amississe, Coadjutor si merito adhibendus. Quarto, dandus est Coadjutor Clerico Beneficiario propter hujus amentiam, arg. cap. un. h. t. in 6.

Quinto, dandus est Coadjutor Clerico propter senectutem, cit. cap. un. h. t. in 6. & can. Petisti. 7. q. 1. Requiritur tamen ad istud, ut Beneficiarius ob senectutem, atque ingravescentem ætatem, reddatur perpetuo inutilis ad executionem officiorum suorum, arg. cap. un. h. t. in 6. ibi: Episcopus senio, ac valetudine corporali gravatus, vel etiam aliis aded impedimentis perpetuo, ut Officium suum nequeat exercere &c. Alioquin enim Coadjutoris acceptare non tenetur Clericus senex, confirmiter dictis supra cit. n. 18. Ed præsertim, quod multi crescentæ ætate, crescant etiam prudentiâ, dexteritate, atque experientiâ rerum agendarum: sique non raro magis apti sint ad sollicitudinem, pacatum, profueumque regimen Ecclesiarum præ pluribus junioribus.

Sextò, propter imperitiam, & illiteraturam Recto- 33. rum Ecclesiarum Parochialium, propter eam minus apti sunt Sacris prærogatis Officij: tunc enim potest Episcopo, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ejusmodi illiterati & imperiti Ecclesiarum Rectores, si alias honestè vitæ sint, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, unâ cum assignatione sufficientis sustentationis. Textus expressus est in Concilio Tridentino Sess. 21. cap. 6. de Reform. Concordat c. Quoniam in plerisque. 14. §. Sed si propter defectum Ordinar. ubi hoc ipsum statuitur de Prælati, seu Episcopo habente sub se Nationes diversarum linguarum, quibus nescit per se ipsum prædicare, atque Divina Officia pro diversitate rituum celebrare.

In istis, atque similibus casibus, quorum nonnulli 34. los alios refert Gonzalez, ubi supra, datur Coadjutor temporalis tum contemplatione Ecclesie, ne videatur pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut Ecclesia in facultatibus, vel juribus suis grave dependitum patiatur, c. Ne pro defectu. 41. de Election. Tum etiam contemplatione personæ Prælati seu Beneficiati Coadjuti, ne cæteroquin, si ob infirmitatem, aut aliud hujusmodi impedimentum, veluti inutilis, Beneficio cedere cogere, afflicto addatur afflictio; sed Officium suum, quod per se præstare nequit, saltem per deputatum sibi Coadjutorem exequi valeat.

Resp. II. His tamen non obstantibus Prælati, seu 35. Parochus Coadjutor, propter constitutum sibi Coadjutorem non excusatur à residentia. Ita censuit Sacra Congregatio Concilii Tridentini, quam refert Hieron. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 9. n. 30. & Castro Palao tract. 17. disp. 1. de Beneficiis, punct. 9. n. 12. sequentibus verbis: Propter deputationem Coadjutoris, Parochus, cui datus est Coadjutor, non poterit abesse à residentia. Hoc ipsum in Episcopo declarat Sacram Congregationem negotij Episcoporum, & Regularium præpositam in Nicotene. 7. Septemb. 1619. refert Barbosa lib. 1. Jur. Ecclæsiæ. univ. cap. 15. n. 53. & lib. 3. cap. 10. n. 29.

Nec etiam per hoc, quod Coadjutus residere teneat- 36. tur, Coadjutor liberatur à residentia. Quomodo enim hic, si non resederit in loco Beneficij, juvare poterit Coadjutum in ejusdem Officij, sacratæque ministerij exequendis? Atque idcirco, quod Coadjutor teneatur ad residentiam, quomodo modum Rector principalis, desitum fuisse à Sacra Congregatione, refert Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 63. n. 9. & lib. 3. Jur. Ecclæsiæ. univ. cap. 10. n. 31. post Galetum in Margarita Casuum conscientie §. Residentia. I. pluresque alios.

37. **Quæritur IV.** A quo dari possit Coadjutor? Resp. I. Coadjutor perpetuus, seu cum futura successione, non nisi à Summo Pontifice dari potest: neque concedendus est, nisi in Ecclesiis Cathedralibus, vel Monasteriis, ob urgentem necessitatem, aut evidentem utilitatem, & causâ pritis diligenter per eundem cognita. Ita Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 7. de Reform.* expressè statuens, ut præter dictas causas à Papa approbatas, Coadjutoria cum futura successione nemini in quibusvisque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur. Ratio hujus est: quia omnis collatio, ac etiam promissio Beneficii primùm vacatori, penitus reprobat à Jure; ut *cap. 2. & 3. de Consecr. Præbend. & cap. 2. eod. in 6.* Atqui per concessionem Coadjutorie perpetuæ, seu cum futura successione, fit promissio, imò & collatio Beneficii primùm vacatori; ergo ea concedi non potest, nisi per Papam, utpote qui solus secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra Jus dispensare, *c. Proposuit. q. de Consecr. Præbend.*

38. Accedit, quod in beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hereditarie successione imaginem referunt, Sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria; prout loquitur Concilium Tridentinũ *cit. cap. 7.* atque liquet etiam ex *can. Apostolica. 8. q. 1. & c. Ex transmissa. 7. & c. Ad extirpandas successiones. 11. de Filiis Presby. & c. Consuluit. 15. de Jure patronat.* cum similibus. Talem autem imaginem futuræ successione videntur habere Coadjutoria perpetuæ, dum mortuo Coadjuto statim Coadjutor hujusmodi succedit in Beneficio, juxta amplius dicenda *n. 62. & 63.* ergo.

39. **Resp. II.** Episcopus, & Episcopo superioribus Prælati, dare Coadjutorem; etiam temporalem, est de majoribus causis Ecclesiæ; atque ad solum Papam pertinet, non obstante consuetudine contrariâ. Ita textus expressus in *cap. un. h. t. in 6.* ubi proinde Glossa *ÿ. Tantummodo*, notat, quod nec ab Archiepiscopo, nec à Patriarcha, vel Legato, possit dari Coadjutor Episcopo. Siquidem in generali concessione non veniunt ea, quæ in signum privilegii singularis sunt tantum Summo Pontifici reservata, *c. Quod translatio. 4. de Offic. Legat.*

40. Nec obstat *c. Ex parte. 5. §. fin. h. t.* ubi Innocentius III. mandavit Arelateni Archiepiscopo, ut cuipiam Episcopo Suffraganeo suo, jam per quadriennium incurabili morbo laboranti, Coadjutorem allociet virum providum, & honestum. Resp. enim cum Glossa in *cit. cap. un. §. Tantummodo. h. t. in 6.* istud contingit de speciali autoritate, & mandato Domini Papæ: alioquin enim Metropolitanus ille non potuisset providere Suffraganeo de Coadjutore, cum istud solummodo spectet ad Papam. *cit. cap. un. h. t. in 6.* ac notat etiam Abbas in *d. c. Ex parte. n. 3. h. t.*

41. **Resp. III.** Nihilominus, ut consulari indemnitati Ecclesiarum, præcipue existentium in partibus à Curia Romana remotis, Pontifex in *d. cap. un. h. t. in 6.* generali quidam Constitutione concessit, ac providè ordinavit, ut Episcopo senio, aut valitudine corporali gravato, vel etiam aliâs aded imbecillitate perpetuâ, ut Officium suum nequeat exercere; possit de sui consilio & assensu Capituli, vel majoris partis ipsius, unum, vel duos auctoritate Apostolicâ Coadjutores assumere, ad dictum Officium exequentium. Si verò Episcopus demens fuerit, & quid velit, aut nolit, exprimere nesciat, vel non possit, tunc ejus Capitulum, vel due ipsius partes, eidem auctoritate unum, aut duos Coadjutores assumant idoneos, qui ejus Officium exequantur. Hæc ibi.

42. Circa quem textum imprimis notandum est *ly.* auctoritate Apostolicâ. Siquidem dare Coadjutorem Episcopi, Prælatiſque superioribus, est de majoribus Ecclesiæ causis, ac Sedi Apostolicæ specialiter reservatum, ut proxime dictum *n. 39.* conformiter *cit. cap. un. h. t. in 6.* Et sicut solus Papa deponit Episcopos,

horumque Superiores, aut eorum cessionem recipit, *c. Inter corporalia. §. Sicut enim de Translatio. Episc. ita & ipse solus potest illis Coadjutorem dare.* Abbas *cap. un. §. h. t. Ac proinde*, quod Episcopus in casu præmissi sibi Coadjutorem assumere, aut Capitulum eidem dementi talem assignare valeat, non nisi auctoritate Apostolicâ fieri potest: adeoque isti hæc ex parte censentur esse Delegati Papæ. Glossa *cit. cap. un. §. Auctoritate Apostolicâ. h. t. in 6. & Barbosa ibid. n. 3.*

Notandum ulterius est *ly.* Capitulum, vel due ipsius partes. Quia, licet alioquin regulariter ad validitatem gestorum Capituli sufficiat consensus majoris, & sanioris partis Capituli, *cap. 1. De his que sunt à major. part. Capit. & c. Quia propter. 42. de Election.* cum concordantis: idque etiam procedat in proposito, quando ipsemet Episcopus de sui consilio & assensu Capituli, vel majoris partis ipsius, unum, vel duos Coadjutores sibi assumit; ut patet ex *ly.* vel majoris partis ipsius. Secus tamen dicendum est in casu, quo Capitulum Episcopo dementi vult assumere Coadjutorem: tunc enim habetur quid speciale, ac propter gravitatem negotii, periculumque inferendi Episcopo, aut Ecclesiæ præjudicium, Papa non concessit Capitulo facultatem, ut possit auctoritate Apostolicâ unum, vel duos Coadjutores assumere Episcopo amentis, nisi vel totum Capitulum, vel saltem due partes (hoc est, due tertie) ipsius conferentur. Glossa in *d. cap. un. §. Due ipsius partes. h. t. in 6. Pirhing. h. t. n. 14. & alii.*

Notandum quoque, unum, aut duos Coadjutores assumant. Plures enim Coadjutores duobus nequit Episcopus infirmis sibi assumere, nec Capitulum Episcopo dementi dare. Tum quia Episcopus infirmus, seu Capitulum, in aliamentis, vel dandis Coadjutoribus non funguntur ordinari, sed delegatè potestatem: unde debent diligenter servare fines mandati Apostolici, *c. Cui de non. 27. de Præbend. in 6. & c. Cùm dilecta. 22. de Rescript.* Tale autem mandatum Apostolicum, *cit. cap. un. h. t. in 6.* expressum, solummodo unum, aut duos Coadjutores admittit, & si Papa plures voluisset admittere, istud expressisset, *c. Ad audientiam. 12. de Decimis.* Tum quia potuit Papa ad hoc rationabiliter motus fuisse ex eo, ne alioquin per Coadjutores nimium graventur Ecclesiæ, utpote ex quarum proventibus alendi sunt. Glossa *cit. cap. un. §. Aut duos, & Franchus ibid. §. Si verò. n. 3. h. t. in 6. Jo. Andreas c. Consultationibus. n. 13. h. t. 4. Pirhing. h. t. n. 14.*

Resp. IV. Episcopus tamen compos adhuc rationis, nunquam poterit à Capitulo cogi, ut sibi Coadjutorem assumat. Ita textus expressus in *cit. cap. un. §. Si autem. h. t. in 6.* illis verbis: *Si autem Episcopus senio, aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo impedimento detentus, ad sui executionem Officii reddatur inutilis, & Coadjutorem assumere, vel habere noluerit, licet à Capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per capitulum innovetur, sed hoc casu, & etiam proximo, idem Capitulum Episcopi & Ecclesiæ suæ conditionem, & statum ac facti circumstantias universas, quæ in eisdem poterit fideliter, & explicitè referat ad notitiam dicte Sedis (Apostolicæ) recepturi humiliter, & efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam conigerit ordinari. Hæc ibi.* Ex quibus patet Conclusio: nam Capitulum non nisi auctoritate Apostolicâ possit dare Coadjutorem Episcopo: hanc autem Episcopo nolente, seu contradicente, non solum non habet, sed etiam expressè sibi denegatam agnoscit.

Resp. V. Parochis, & aliis Beneficiis Episcopo inferioribus, qui propter morbum incurabitem, aut aliud impedimentum perpetuum Officio suo fungi nequeant, Coadjutorem temporalem dare, pertinet ad proprium ipsorum Prælatum; puta, ad Episcopum,

qui eos potest destituere, seu Beneficio privare, vel hujus cessionem admittere. Ita Jo. Andreas *c. Consultationibus. n. 7. & Abbas ibid. n. 5. h. t. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 5. §. q. n. 36.* citans alios. Nam qui potest instituire, ac destituere in Beneficiis, potest etiam, & quidem à fortiori, Coadjutorem dare; uti notant præallegati Doctores.

47. **Quæritur V.** Quod sit Officium Coadjutoris, & quæ potestas ipsius? Resp. I. Generatim loquendo, Coadjutoris Officium est, coadjuvare Coadjutum e jusque vices, ac munia supplere in iis, ad quæ datur. Ita communis; & signanter Jo. Andreas *cit. c. Consultationibus, n. 8. h. t. & Piafecius in Praxis Episcopalis Proemio. num. 27.* allegans alios. Porro, quænam in specie sint illa, ad quæ quis alteri datur Coadjutor, colligendum est ex forma collationis Coadjutorie, seu ex Litteris dationis ejus; prout notant citati Authores. Unde si de Clerico bene administranti spiritualia, sed dilapidanti temporalia, datur Coadjutor in temporalibus, tunc hujus Officium versatur circa sola temporalia: & e converso, si Beneficiatus solummodo inutilis sit in spiritualibus, aut in certo genere horum, v. g. ob amputatam manum, Officium Coadjutoris erit, sola spiritualia, aut certum eorum genus peragere. Id ipsum videre est in duobus constitutis Coadjutoribus, quorum unus in spiritualibus, alter verò in temporalibus Coadjuto datur.

48. **Resp. II.** Quando ex Litteris datæ Coadjutorie non constat de certo genere agendorum (puta, quia simpliciter & absolute, ac sine restrictione aliqua datur Coadjutor) tunc hujus Officium imprimis est, tam Coadjuti, seu Rectoris principalis, quam Ecclesiæ sibi commissa, in omnibus, & per omnia curam gerere. Ita desumitur ex *c. Ex parte. 5. h. t. ibi: Illi Coadjutorem associes per quem tam Episcopo, quam populo utiliter consulatur.* Quod ipsum jam antea statutum fuerat *can. Scripsit mihi. 7. q. 1. junctâ Glossâ §. Curam omnem. Jo. Andreas cit. c. Consultationibus. nu. 8. & 9. h. t. Pirhing. h. t. n. 16. & alii.*

49. **Resp. III.** Insuper Coadjutor simpliciter datus, potest omnia, quæ ipsemet Rector principalis posset: nisi quod reperitur in Jure specialiter exceptum, aut nisi Coadjutus, veluti Rector principalis, sit invitus, quoad aliquid eorum, quod ipsemet adhuc rectè potest, & vult agere per se ipsum. Ita Navarrus *Consil. 3. n. 4. de Cleric. ægrotant.* Garcias *part. 4. de Beneficiis, c. 5. n. 58. & 60.* Piafecius, ubi supra, & alii. Prior pars sequitur ex proxime dictis: nam, si Coadjutor simpliciter datus non posset omnia, quæ Rector principalis poterat; non bene per ejus deputationem provivum foret Rectori principali, atque Ecclesiæ five populo eidem commisso.

50. Altera pars, loquens de casibus in Jure specialiter exceptis, exemplificatur in alienatione, atque donatione rerum ipsius Prælati coadjuti, vel Ecclesiæ: hanc enim facere, specialiter est in jure prohibitum Coadjutori; ut *c. Is cui procurator. 42. de Election. in 6. & cap. un. §. fin. junctâ Glossâ §. Abstinentes. h. t. in 6.* Nam regulariter donare non valet is, cui bonorum administratio concessa est, *cap. ult. de Offic. Vicar. in 6.* Huc addit potest casus de collatione Beneficii, de quo proxime, seu *n. 52. & seqq.* dicetur.

51. Tertia tandem pars desumitur, ex *can. Pontifices. 7. q. 1.* additâ eâ ratione: *Ne per necessitatis occasiones, præsumptionis pullulet ambitio.* Unde, quod Rota in una Eborens. Distributionum. 23. Octobris 1598. coram Dom. Corduba, tenuerit, Coadjutorem non posse inferre invito Coadjuto, sed ipso petente: refert Garcias *part. 4. de Benefic. cap. 5. num. 60.* citans Campetium de Coadjutor Episcopi. *n. 9.* atque istud probans ulterius *ex cap. un. h. t. in 6. & can. Nihil contra. §. Ecce. 7. q. 1.*

Dubitant verò Doctores, an Coadjutor Episcopi simpliciter datus possit conferre Beneficia, ad liberam collationem Episcopi coadjuti ceteroquin spectantia? Et ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est: quia in sæpe *cit. cap. un. h. t. in 6.* prohibetur Coadjutoribus Episcoporum omnis alienatio: atqui collatio Beneficii Ecclesiastici, saltem libera, est quadam donatio, sicque & alienatio, *cap. ult. de Offic. Vicarii in 6. junctò c. Nulli liceat. 5. de Rebus Ecclesiast.* non alienand. ergo. Accedit, quod in generali concessione non veniant ea, quæ quis non esset verumiliter in specie concessurus, juxta *Reg. 81. Jur. in 6. & cit. cap. ult. de Offic. Vicarii in 6.* Atque idcirco negativam sententiam Jo. Monachus, & Archidiaconus, in *d. c. ult. h. t. in 6.* & nonnulli alii.

Melius tamen respondetur cum Jo. Andrea in *c. Consultationibus. num. 9. h. t.* Jo. de Selva *Tractatum tom. 15. tract. de Beneficio. part. 2. quest. 4. num. 2. & seqq.* Navarrus *Consil. 3. num. 4. de Clerico ægrot.* & Pirhing *ead. num. 18. & alii*, sub distinctione. Quia vel Coadjutus, nempe Rector principalis infirmus, adhuc est sanæ mentis, & vult, potestque per se ipsum conferre Beneficia: & tunc ad ipsum pertinet conferre Beneficium, cum consilio tamen, & consensu Coadjutoris simpliciter dati ad spiritualia: solus autem Coadjutor eo nolente nequit conferre Beneficia; uti probant rationes proxime allatæ. Vel Coadjutor in spiritualibus datus fuit Rectori, v. g. Episcopo amentis, aut aliis inhabili ad conferendum Beneficium, seu præstandum desuper consensum: & tunc Coadjutor ejusmodi confert solus Beneficia. Alioquin enim periculum foret, ne diutius vacarent Ecclesiæ; cum ignoremus, quæ Rector illi demens moriatur, aut resipiscat.

Neque urget *cap. ult. de Offic. Vicar. in 6.* cum aliis *54 num. 52.* adductis. Nam loquuntur de alienatione voluntaria: secus dicendum de necessariâ; ut *l. alienationes. ff. Famil. heredisund.* Talis quippe necessaria alienatio, seu collatio Beneficii, censetur tunc fieri per Coadjutorem, eò quod revera necesse foret conferri Beneficium vacans, ne ex diuturnâ ejus vacatione grave periculum immineret Ecclesiis, utpote ob carentiam legitimi Rectoris facile lædendis in spiritualibus, atque temporalibus.

Quæritur VI. Cujus impensis alendus sit Coadjutor? Resp. I. Coadjutor debet habere congrua, & moderata alimenta de bonis, seu facultatibus Ecclesiæ, cujus Prælati, vel Beneficiario datus est. Ita communis; atque patet *ex cap. 3. h. t. ubi* de hujusmodi Coadjutore statuitur, ut de facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam, congruum recipiat portioem. Concordat textus expressus in *cap. un. §. Presenti. eod. in 6.* illis verbis: *Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum alimenter auxiliium, sumptus recipiant portioem.* Quibus similia habentur in Concilio Tridentino *Sess. 21. cap. 6. de Reform.* Nec immeritò, nam, ut *Æterna Veritas Matth. cap. 10.* allerit, *Dignus est operarius cibo suo.* Simulque nemo cogitur militare stipendiis suis, *1. Corinth. 9.*

Atque in hoc conveniunt Doctores, quando redditus Ecclesiæ sufficienti pro congrua sustentatione ram Coadjutoris, quam Coadjuti ægrotantis. Quid autem sit agendum, quando redditus illi non sufficienti pro congrua utriusque sustentatione, non parum controversunt Doctores; uti videre est apud Abbatem in *c. De Rectoribus. n. 5. & 6. h. t. & alios.*

Resp. II. Esti Glossa *fin. in cit. c. De Rectoribus. h. 57. t. velit*, quod in casu dictæ insufficientiæ reddituum potius sit subveniendum ex bonis Ecclesiæ Coadjutori, utpote operario, qui servit Ecclesiæ, ac proinde, dignus est mercede sua; Prælato infirmo autem postea provideat Episcopus, *can. 1. dist. 82.* hæc tamen sententia

titia passim ab aliis relinquuntur; prout contra eam tenet Vincentius, Cardinalis, & Abbas in d. c. De rectoribus. num. 5. & Barbosa ibid. nu. 4. & Fagnanus n. 12. h. t. Pirhing eod. n. 8. & Engel n. 3. cum aliis. Ratio est: quia isthac posterior sententia majori nititur aequitate & solidioribus fundamentis. Tum quia Coadjutus infirmus adhuc remanet Praelatus, & Rector Ecclesiae, saltem quoad jus, etsi non quoad exercitium; ergo illi primò subveniendum est de redditibus Ecclesiae, tanquam proprio Praelato. Eò præsertim, quia is adhuc ut infirmus residere debet, sicque illi deservire censetur, merito proinde ex ejus facultatibus sustentandus, c. Cum secundum. 16. de Præbend. cum similibus. Tum quia inhumanum videtur, Beneficiatum infirmum, sicque Coadjutore indigentem, in alimentis negligi, quibus vel maximè nunc indiget, & ad quæ ex titulo sui Beneficii, atque investituræ jus acquisivit, contra cap. 1. & cap. 5. h. t. addendo afflictionem afflictio. Neque enim textus in cit. can. 1. dist. 82. loquitur de Beneficiatis aegrotantibus; sed generaliter de omnibus pauperibus, vel infirmis, quibus jubetur Episcopus vicum & vestitum largiri, sed sub clausula: In quantum sibi possibile fuerit: ac proinde Episcopo non valente subvenire, Clericus ad certum tempus deputatus fuit; puta, donec Episcopus ille redierit, vel ad legitimam ætatem pervenerit. Nam eo redeunte, aut ætatem debitam attingente, illic cessat Officium Coadjutoris, seu Administratrix interim constituitur, arg. c. De causis. 4. de Offic. Delegat. Ita tamen, ut teneatur plenam gerere Coadjutoriam, seu Administrationis suæ, rationem dare Rectori principali, puta, Episcopo redeunti, vel ad legitimam ætatem pervenienti (si sanæ mentis extiterit) ac capitulo ipsius, seu etiam Successori, si antea id factum non est, juxta textum expressum in cap. un. fin. h. t. in 6.

Resp. III. Loquendo nunc de Coadjutore perpetuo, seu auctoritate Apostolica deputato cum futura successione, licet hujusmodi coadjutoria, atque potestas per ipsam concessa, in quantum respicit favorem Coadjuti, expirat eo mortuo: neque enim potest ille coadjutare defunctum. Nihilominus, in quantum ea respicit favorem Coadjutoris, hæc per obitum Coadjuti non expirat, quin potius transit in jus plenum, seu jus in re respectu Beneficii. Ita Fagnanus c. Ex parte numer. 15. & 16. h. t. post Puteum Decis. 98. lib. 2.

Accedit ratio hujus posterioris partis: quia per Apostolicam concessionem Coadjutoriam perpetuam, acquiritur Coadjutori in Beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti efficitur jus plenum: ita quidem, ut non requiratur pro ejusmodi perpetuo Coadjutore nova collatio, sed abique alio ministerio illa gratia Coadjutoria ex primo jure sibi concessio sortitur effectum. Siquidem in istis Coadjutoris perpetuis Papa sub clausula, Ex nunc prout ex tunc, facit collationem; uti post Rotam in Tirasonens. Coadjutoria. 8. Novemb. 1599. coram Penia, notat Fagnanus cit. n. 16. Atqui præfata clausula id operatur, ut unum tempus videatur alteri inesse, futurum scilicet in presenti; sicque actus postea factus, censetur jam à principio factus. Barbosa in Tract. de Clausulis usus frequent. Claus. 61. num. 1. & 6. ac sequens citans alios.

Quæritur VII. Quando expirat Officium Coadjutoris? Resp. I. Loquendo de Coadjutore temporali, de quo hæctenus dicta potissimum procedunt, ejus Officium atque potestas expirat, cessatque per mortem Coadjuti: sive dein moriatur naturaliter, ac physice; sive civiliter, nempe per renunciationem, aut depositionem; seu privationem Beneficii legitime factam. Ita Jo. Andreas c. Consultationibus. num. 8. h. t. & Abbas ibid. n. 4. & Fagnanus c. Ex parte. num. 9. & 10. eod. allegans Rotam Decis. 456. num. 5. part. 1. Re-

cent. ubi ait, Coadjutoriam expirare cum omnibus ejus effectibus mortuo Coadjutore. Pirhing h. t. num. 19. Sannig eod. cap. 2. num. 2. Engel num. 9. & alii. Idque desumitur ex c. Grandi in fin. de Supplend. negligent. Prælat. in 6. Accedit ratio, desumpta ex nominis etymologia: siquidem Coadjutor dicitur à coadjuvando; sicut Tutor à tuendo, quasi tutor & defensor, L. 1. ff. de Tutel. Atqui mortuo eo, cui datus est Coadjutor, non adest amplius, quem ipse coadjuvet: ergo per mortem illius hoc ipso expirat Officium Coadjutoris; atque jurisdictione, si qua competeat Coadjutore, ipsa infirmo Episcopo devolvitur jure ordinario ad Capitulum.

Resp. II. Insuper cessare debet Officium, atque potestas Coadjutoris, quando impedimentum Rectoris principalis, seu Coadjuti, quod credebatur perpetuum, cessavit, atque iste per se redditor habilis ad sua munia peragenda. Siquidem cessante causa, cessare debet effectus, c. Cum cessante. 60. de Appellatione.

Hoc ipsum ampliatur ad eum casum, quo Coadjutor, sive Administrator cujuspiam Episcopi, ex legitima causa absens, vel ex speciali dispensatione Apostolica promoti ante legitimam ætatem, duntaxat ad certum tempus deputatus fuit; puta, donec Episcopus ille redierit, vel ad legitimam ætatem pervenerit. Nam eo redeunte, aut ætatem debitam attingente, illic cessat Officium Coadjutoris, seu Administratrix interim constituitur, arg. c. De causis. 4. de Offic. Delegat. Ita tamen, ut teneatur plenam gerere Coadjutoriam, seu Administrationis suæ, rationem dare Rectori principali, puta, Episcopo redeunti, vel ad legitimam ætatem pervenienti (si sanæ mentis extiterit) ac capitulo ipsius, seu etiam Successori, si antea id factum non est, juxta textum expressum in cap. un. fin. h. t. in 6.

Resp. III. Loquendo nunc de Coadjutore perpetuo, seu auctoritate Apostolica deputato cum futura successione, licet hujusmodi coadjutoria, atque potestas per ipsam concessa, in quantum respicit favorem Coadjuti, expirat eo mortuo: neque enim potest ille coadjutare defunctum. Nihilominus, in quantum ea respicit favorem Coadjutoris, hæc per obitum Coadjuti non expirat, quin potius transit in jus plenum, seu jus in re respectu Beneficii. Ita Fagnanus c. Ex parte numer. 15. & 16. h. t. post Puteum Decis. 98. lib. 2.

Accedit ratio hujus posterioris partis: quia per Apostolicam concessionem Coadjutoriam perpetuam, acquiritur Coadjutori in Beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti efficitur jus plenum: ita quidem, ut non requiratur pro ejusmodi perpetuo Coadjutore nova collatio, sed abique alio ministerio illa gratia Coadjutoria ex primo jure sibi concessio sortitur effectum. Siquidem in istis Coadjutoris perpetuis Papa sub clausula, Ex nunc prout ex tunc, facit collationem; uti post Rotam in Tirasonens. Coadjutoria. 8. Novemb. 1599. coram Penia, notat Fagnanus cit. n. 16. Atqui præfata clausula id operatur, ut unum tempus videatur alteri inesse, futurum scilicet in presenti; sicque actus postea factus, censetur jam à principio factus. Barbosa in Tract. de Clausulis usus frequent. Claus. 61. num. 1. & 6. ac sequens citans alios.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

I Ratio ordinis Rubricarum.

Hæctenus dictum est de Clericorum obligationibus, ac beneficiis Ecclesiasticis, restat nunc dicere de Institutionibus in eisdem, nempe in Beneficiis: non enim hic est sermo de institutione hæredum quoad Testamenta. Quo præmissis fit

§. I.

De divisione Institutionis ut sic, ejusque requisitis: ubi & de examine institutorum in Beneficiis.

SUMMARIUM.

- 1 Institutio, seu Instituire in Beneficiis, dupliciter accipitur: nimirum late, seu pro quocunque provisionis modo.
- 2 Institutio proprie, seu specialiter: & quid sit?
- 3 Hæc differt à Collatione, & Præsentatione: & qualiter?
- 4 Institutio est triplex; videlicet
- 5 Institutio collativa, seu verbalis
- 6 Institutio auctorizabilis, &
- 7 Institutio corporalis, sive realis, quid?
- 8 Institutio corporalis alio nomine dicitur Investitura, Installatio &c.
- 9 Institutio canonica, quæ?
- 10 Et quæ ad hæc requirantur? Remissive.
- 11 Præsentatus à Patrono, an necessarius sit institutorum?
- 12 Institutio Clerici non præsentati, non est ipso jure irrita, sed irritanda ad instantiam Patroni. Ibidem.
- 13 Præsentati à Patronis, alique instituendi in Beneficiis, regulariter antea debent examinari. Et n. seqq.
- 14 Verbum admittere, & Instituire in Beneficio, differunt: & quomodo?
- 15 Reseritur Decretum Concilii Tridentini Sess. 7. cap. 13. de Reform. circa examen promovendorum.
- 16 Istud requiritur etiam in præsentatis per Patronos laicos; & quidem à fortiori.
- 17 Simulque in præsentatis ad quæcunque Beneficia, etiam simplicia.
- 18 Limitatur istud in præsentatis ab aliqua Universitate ad Beneficium simplex.
- 19 Secus, quando Graduati petunt provideri de Ecclesia Parochiali: tales enim debent examinari.
- 20 Excipiuntur etiam à novo examine præsentati ad Beneficium simplex, qui post prævium examen admittunt ad Ordines Sacros.
- 21 Aut qui notorie sunt literati. Ibid. & n. seq.
- 22 Examen requiritur pro forma solum in Parochialibus, non verò in simplicibus beneficiis.

Quæritur I. Quid, & quotuplex sit Institutio? Resp. I. Institutio, seu instituire in Beneficiis, dupliciter in Jure accipitur: aliquando late, seu pro quocunque provisionis modo; aliquando proprie, seu specialiter. Et quidem Institutio late accepta, comprehendit sub se quamlibet Provisionem canonicam, seu modum legitimum acquirendi beneficium Ecclesiasticum. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

cum: sive dein ea fiat per Electionem ritè celebratam, unà cum confirmatione ejusdem; sive per Postulationem à Papa admittam, sive per Nominationem, seu Præsentationem factam à Patrono cum institutione secuta; sive per collationem liberam Beneficii, à Superiore valente conferre factam, sive per permutationem unius Beneficii cum alio, interveniente auctoritate Superioris peractam &c. Atque hæc ratione, seu late ac generaliter, pro quocunque scilicet provisionis modo, sumitur Institutio nomen in Rubrica præsentis Tituli: uti notat Glossa magisterialis in Rubrica. h. t. in 6. & Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 72. n. 172. cum aliis. Quo modo, seu late, pariter accipitur Institutio nomen in Reg. 1. Juris in 6. ibi: Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè abque institutione canonica obtineri. Barbosa lo. cit. Vallensis h. t. §. 1. n. 3. Et Instituire, in hoc sensu aliud non est, quam Jus Canonicum in Ecclesia, vel Ecclesiastico beneficio tribuere, ut inquit Glossa in cit. Reg. Juris in 6.

Alio modo sumitur Institutio proprie, seu specialiter: nempe pro ea solummodo concessionem Beneficii, quæ per Superiorem fit cupiam ad præviam præsentationem Patroni; sicque desinere solet, dicendo: Institutio, est concessio Beneficii ad præsentationem patroni facta. Glossa in Rubrica. h. t. in 6. Engel h. t. n. 1. Et hoc modo sumpta Institutio, est certa species provisionum de beneficio Ecclesiastico.

Porro Institutio proprie, seu specialiter accepta, differt à Collatione, & Præsentatione, juxta textum expressum in c. Cum in illis. 16. §. Cum autem de Præbend. in 6. ibi: Cum autem inter collationem, præsentationem, & institutionem differentia magna esse noscatur &c. Siquidem Institutio est ipsius personæ, quæ instituitur: Collatio verò est Beneficii, quod confertur. Zaccius h. t. n. 1. Deinde Collatio proprie loquendo, est translatio libera juris in Beneficio: quia, habens facultatem conferendi Beneficium, non tenetur conferre huic, vel illi; sed liberè confert, cui vult, dummodo sit idoneus. Præsentatio contra proprie pertinet ad Patronum: hoc est, ad eum, cui competit jus patronatus, sicque potest Clericum idoneum præsentare Episcopo ad Beneficium vacans. Institutio tandem sequitur præsentationem Patroni, mediante quâ fit concessio Beneficii Clerico idoneo per Patronum præsentato: & hæc proprie dicitur Institutio. Glossa in Rubrica. h. t. in 6. Abbas c. Auctoritate. n. 7. h. t. Barbosa cit. part. 3. allegat. 72. n. 172. & alii.

Resp. II. Institutio est triplex, videlicet collativa tituli Beneficialis, auctorizabilis, atque corporalis. Ita Glossa in c. Beneficium, circa med. de Reg. Jur. in 6. ubi ait: Dicendum, quòd triplex est Institutio. Quædam est Institutio tituli collativa: alia est Institutio auctorizabilis quoad commissionem curæ animarum: alia est Institutio realis, & actualis, quæ vocatur investitura, seu inducio in possessionem realem, & corporalem. Hæctenus Glossa. Id ipsum tenet Abbas in c. Auctoritate. n. 7. & 8. h. t. Joan. de Selva Tractatum. Tom. 15. tract. de Beneficio. part. 2. quest. 1. n. 20. Fagnanus c. Cum Ecclesia. n. 28. & seqq. de Causa possessionis. Petrus de Murga tract. de Beneficiis. quest. 3. n. 80. & seqq. & communis. Accedit ratio: quia ad omnem Institutionem canonicam in Beneficio, saltem curato, requiritur, ut Beneficiario instituendo conferatur à legitimo Superiore titulus Beneficii, item cura animarum, nec non actualis possessio illius Beneficii: unde merito juxta hæc tres actus, Institutio ut sic dividitur in tres species, videlicet in collativam, auctorizabilem, atque realem. Et quidem

Institutio collativa (quam nonnulli verbalem appellant) est ea, per quam titulus Beneficii Clerico promovendo confertur. Prout fit tum per electionem canonicam secuta confirmatione Superioris, aliusque hujusmodi